C potu, cœliacis, fœminarũ fluxionibus, morbo regio, & phalangiorũ morſibus prodeſt. Oedemata illitus reprimit. Cortex eadem quæ fructus poteſt. Decoctum foliorum cum uino potum, lienem minuit. Ad dolorem dentium in collutionibus ſalutare eſt, & mulierum fluxionibus in deſeſsionibus. Aptè his in quibus pediculi & lendes abundant circunfunditur. Cinis lignorum eius appoſitus profluuiũ ex utero ſupprimit. E trunco eius nonnulli potorios calices fabricant, quibus in lienoſis pro poculo utuntur, quò datus in ijs potus proficiat.

Calices potorij ex trunco tamaricis.

EX GALENO.

Myrice prodeſt admodũ lieni indurato, decoctis cum aceto aut uino radicibus, ſiue foliis, ſiue extremis ramulis. Sanat uerò etiam dentium dolores.

EX PLINIO.

Lenæus ſanari ea carcinomata in uino decocta tritaq; cum melle dicit. Ad lienem præcipua eſt, ſi ſuccus eius expreſſus in uino bibatur. Adeoq; mirabilem eius antipathiam cõtra ſolum hoc uiſcerum faciunt, ut affirment, ſi ex ea alueis factis bibant ſues, ſine liene inueniri. Et ideo homini quoque ſplenetico cibum potumq; dant in uaſis ex ea factis. Lignum & flos & folia & cortex in eoſdem uſus adhibentur, quanquam remiſsiora. Datur ſanguinem reijcientibus cortex tritus, & contra profluuia fœminarum, cœliacis quoq;. Idem tuſus impoſitusq; collectiones omnes inhibet. Foliis exprimitur ſuccus. Ad hæc eadem & in uino decoquuntur: ipſa uerò adiecto melle gangrẽnis illinuntur. Decoctum eorum in uino potum, uel impoſitum cum roſaceo & cera ſedat. Sic & epinyctidas ſanant. Ad dentium dolorem auriumq;, decoctum eorum ſalutare eſt. Radix ad eadem, ſimiliter & folia. Hæc amplius adeaquæ ſerpunt imponuntur cum polenta. Semen drachmæ pondere aduerſus phalangia & araneos bibitur. Cum altilium uerò pingui furunculis imponitur. Efficax
D & contra ſerpentium ictus, præterquam aſpidum. Necnon morbo regio, phthiriaſi, lendibusq; decoctum infuſum prodeſt, abundantiamq; mulierum ſiſtit. Cinis arboris ad omnia eadem prodeſt.

DE MECONE RHOEADE. CAP. CXCIIII.

NOMINA.

Papauer rubeũ. ΜΗΚΩΝ ῥοιὰς Græcis, Papauer rhœas, hoc eſt, fluidum aut erraticum Latinis, Papauer rubeum officinis & herbarijs, Germanis à ſtrepitu quem ludentes pueri harum foliis concauo pugno impoſitis, altera palma incuſſa ædunt, Klapperroſen/ quaſi dicas crepitaculares roſas, & Glitſchen/ & wild Maen/ ac Romroſen appellant. Rhœas autem à flore, qui ei protinus decidit, dictum eſt.

Rhœas unde dictum.

FORMA.

Folia Erucæ, aut Cichorio ſimilia, & inciſa habet, longiora tamen & aſpera. Caulem † lanuginoſum, rectum, aſperum, cubitalem. Florem puniceum, & aliquando candidum, ſimilem ſylueſtris Anemones flori. Caput oblongum, minus tamen quàm Anemones. Semen rufum. Radicem oblongam, ſubalbam, minoris digiti craſsitudine, amaram. Ex qua deliniatione omnibus perſpicuũ fit, herbam quam Papauer rubeum hodie uulgò nominant, eſſe Rhœada, quod ſit folio Erucæ, laciniato, ſcabro, & longiore: caule lanuginoſo, recto, aſpero, cubitali: flore ſylueſtris Anemones puniceo, nonnunquã albo, oblongo capite: ſemine rufo, radice longa, ſubalbida, minoris digiti craſsitudine, guſtu amara. Errant itaque qui Anemonem eſſe arbitrantur, quod folia eius, quæ Coriandri ſunt, euidentiſsimè reclament. Nos Rhœadis utriuſque picturas damus. Vnius, atqueadeo primi, quod Erucæ folia habet, alterius quod Cichorij.

† *aliàs iunceum*

Papauer rubeũ nõ eſt Anemone.

LOCVS.